


PU. O dii immortales! meum patrem miserum!  
 VA. Habe bonum animum, Manli, Metellus commotus mihi  
 Consul videtur esse. — LIC. Progrediare Bodostor nuntius.  
 ME. Numquid querit hic legatus Karthaginensium  
 Coram senatu Romano? — Bo. Sehatus amplissime,  
 Mea civitas huc me misit, ut pacem vobis adferam.  
 Sit ergo pax, si Roma sibi pacem desiderat.  
 ME. Senatui et populo placuit, ut tum modo Karthagini  
 Pax detur... — Bo. Ne sis oblitus, consul, quod nos concedere  
 Voltis, armis quit expugnare nostra civitas.  
 ME. Non optat pacem, qui pugnaci accedit irritabulo.  
 Bo. Edepol qui adulans arreptat, is pacem non meret.  
 ME. Quodsi totam nobis Siciliam transmittitis,  
 Hoc iam momento temporis laetus tu pacis nuntius  
 Ibis populo Karthaginensi. — Bo. Tune, consul optume,  
 Istunc audes audax laetum autumare nuntium?  
 Ithic reapse laetus ageret in crucem me nuntius.  
 ME. In tantone est illic pax odio? — Bo. Karthago mavelit  
 Bellum, quam servitutem sumere. Utrum nostra civitas,  
 An Roma sit victura, deorum in arbitratu vortitur.  
 Karthaginenses ita sentiunt: qui stare non potest  
 Liber et glorus, occidet certo. Hoc neque vos  
 Nec vostra fortuna aut vostri sodales non queunt  
 Arcere; quapropter si certus est casus Karthaginis,  
 Magis sit ille glorus, quam intestabilis.  
 ME. Si Karthago cadet, hoc fit peccatum per suum.  
 Bo. Hoc iudicent iam posteri. — ME. Dicas velim palam,  
 Num vostra civitas a Romanis quid postulat?  
 Bo. Duellum agitur pro Trinacria, quae nobis et vobis quidem  
 Alienast. Et vos et nos advocati illuc sumus.  
 At vos Romani nos movere vostros hospites  
 Illinc studetis. Est tamen Karthago vobis iustior.  
 Manete sultis; nos duo unam terram habere possumus.  
 ME. Dum tandem pugionem in nostros animos figitis,  
 Non est tutum nobis una vobiscum habere Siciliam.  
 Bo. Itaque oportet nobis vos esse ultra finis ultimos  
 Terrarum. — ME. Ergo recusatis Siciliam nobis tradere?  
 Bo. Hoc maxume modo. — PO. Sit ergo Bellum. — ME. Intellegis?  
 Omnes hic conclamat bellum. — Bo. Aufer ergo proelium.  
 ME. Peregistin legationem? Bo. Nondum. Nostra civitas  
 Paratos esse vos captivos permutare existimat,  
 Ut qui tam diu procul a patria aetatem degerint,  
 Iam tandem aliquando ad caros redeant suos.  
 ME. Istuc edepol vobis dabitur, si milites  
 Cum militibus vostris permutabuntur singuli.

(Ad proximum numerum).





Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXVI Fasc. VIII-IX

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

## FERIAE MONTANAEC

Carmen FRANCISCI SOFIA ALESSIO Radicenensis in certamine poëtico Hoeufftiano,  
an. MCMXXXV, magna laude ornatum.

Vertice Mons Calabris regionibus imminet alto,  
Latior unde patet Siculum prospectus in aequor  
Ioniumque simul; nive candet noster Olympus,  
In quo defigunt reverenter lumina gentes  
Spemque fovent. Hic, Virgo, Tibi pia tempia sa- [clarunt  
Ausoniae rigua veteres in valle coloni,  
Hic Apennini densa de sepe bubulus  
Iam venerabundum vitulum consistere vidit  
Ante Crucem genibus flexis, conspexit et idem  
Cum Puero Divam suffusam lumine Matrem.  
Virgineae Genetricis adest venerabile Signum  
Aedibus in sacris, argento fulget et auro  
Muneribusque suis populos trahit inclita Virgo:  
Ad Te confugiunt miseri curisque remorsi,  
Sancta Parenz, quae fers rebus solamen in artis,  
Teque petunt Calabre gentes, neque poenitet il- [las  
Sustinuisse viae montanae taedia longa.  
Huc ad Te properant aestate calente fideles:  
Agmina densa gradu scandunt iuga celsa citato,  
Per salebras vadunt celeres et opaca locorum  
Ac fundunt laeti resonos communiter hymnos,

Noctes atque dies ludunt per amoena vireta,  
Et veterem tenui musam modulantur avena.  
Hic requiescit amans et dulcem cantat amicam  
Tityrus et circum resonant Amaryllida silvae,  
Dum simae pendent alta de rupe capellae.  
Instruitur tandem viridi de cespite mensa,  
Et fit prandiolum patulae sub tegmine pinus...  
Panem, caseolos et fumida segmina pernae  
Sumit quisque libens et dulcia mala nucesque.  
Ecce client ignem tenebris venientibus omnes:  
Mille foci splendent per opaca cacumina montis.  
Pastores ludunt hilares et pocula sumunt  
Atque canunt faciles luna radiante puellae,  
Et choreas ducunt et dextra cymbala pulsant:  
Ferrea canna sonat nitrato pulvere farta  
Responsantque simul valles abruptaque saxa.  
Mane novo visunt peregrini nobile templum,  
Et simul exorant Reginam rite Mariam,  
Et grates vehementer agunt et carmina dicunt,  
Primitias referunt, et divo pane refecti  
Optant agricolae pluvium sine grandine caelum,  
Aureolas spicas, uvias et mollia poma,  
Orant et Patriae pacem certamque salutem.  
Pastores vitulos, agnos timidasque capellas  
Huc grati ducunt humilesque morantur ad aram.  
Ecce haedum manibus pastor demulcet et infit:

Salve, Sancta Parens, salve, dulcissima Virgo,  
Ecce pedes sisto cernuus ante tuos.  
Aetherei tandem tetigi fastigia montis,  
Atque tuli patiens aspera quaeque viae.  
Infelix genuit me tempore mater iniquo,  
Cum perit dira morte repente pater.  
Et vitam miser in silvis et montibus egi,  
Et tenuem duxi per nemus omne gregem.  
Nunc pauper vivo per amica silentia luci  
Atque humiles habitu cum genetrice casas.  
Horrentes nigra saltus formidine lustro  
Virgineasque nives per iuga celsa premo.  
At pecus aeger ago vento pulsatus et imbr  
Et metuo vigilans nocte silentie gregi,  
Frigore deficio Borea spirante fameque,

Non gravis aere domum iam mea dextra redit.  
Non Tibi do gemmas, precor, accipe pignus amo-  
[ris

Paupere nunc haedum de grege, Virgo, meo.  
A nostris prohibe stabulis contagia dira,  
Protege Tu felix parvula tecta casae.  
Peccavi, doleo, Virgo, miserere dolentis,  
Si quid deliqui parce benigna mihi.  
Nam Tu sola potes nostros lenire dolores,  
Tu nos e celso, Virgo, tuere throno.

Moxque precatur inops mulier viduata marito:

Ad Te confugio, Virgo, sum lassula mater,  
Te veniente die, Te moriente voco.  
Inque tuum lacrimas gremium, Sanctissima, Jun-  
[do,

In Te spem foveo fracta labore meam.  
Aram iam statui puro Tibi corde, Maria,  
Et dat tura calens intemeratus amor.  
Heu! perit mater! didici maledicta novercae,  
Et cubui nudo languida nocte solo.  
In lucem dederam tenerum connixa puellum,  
Cum cecidit coniux per fera bella meus.  
In tenebris vivo caro viduata marito,  
Et mihi filiolus, solus ocellus, adest.

Ille quidem miseram me nunc solatur et orbam,  
Tu puerum serva, Virgo, benigna mihi.  
Assiduo vitam vix sustentare labore  
Possumus; in terris saevit acerba fames.  
Fac tempestates procul absint bellaque dira,  
Fiat Pax et Amor regnet ubique pius:  
Nam Tu sola potes tranquilla pace iuvare,  
Adsis et nobis porrige, Diva, manus.

Sic repetunt Calabri solemnia festa quotannis,  
Et genio simul indulgent in montibus altis.  
Ante fores templi, sublimi sede locata  
Fulgida iam populo Mater subridet ovanti:  
Iam venerabundi demissa fronte fideles  
Conclamat omnes: Vivat pia Virgo Maria!  
Solemni fertur pompa venerabile Signum,

Et tandem dicit clarum pia Virgo triumphum:  
Igniferae resonant cannae per opaca viarum  
Ac Vallis fremit, immensum velut amphitheatre-

[trum.  
Teque, Maria, vocant pueri roseaeque puellae,  
Solliciti patres et casto pectore matres,  
Tu nostro, Virgo, doluisti saepe dolore,  
Cum gravis instaret clades vel caeca ruina.  
Errantes oculos divino vidimus olim<sup>1</sup>  
In vultu, cum Crux fulsit per caerulea noctis,  
Et simul aeternam timuerunt saecula cladem.  
At Tu iam nostros spectasti, Virgo, labores  
Auxiliumque piis tandem miserata tulisti,  
O Mater, luimus sat crimina sanguine nostro:  
Aspice praecipi nutantem turbine mundum,  
Et desolatas terras populosque gementes;  
Ad Te confugimus, clementia lumina verte,  
Respic crescentem prolem, miserere laborum,  
Perge tuum celso populum de Monte tueri.

Dum carmen sub paelo est, funestum nun-  
cium accepimus, Auctorem clarissimum uxore  
dilectissima, Concepta Ursida, fuisse orbatum.  
Eius doloribus fraterne congruimus, Deoque pro  
muliere pientissima ex animo litamus. — A. R.

<sup>1</sup> Virginis Simulacrum, anno 1894, oculos movit, dum  
Crux, radiis lunae mirum in modum efficta in aethere  
fulget.

## MONITUM

Non pauci etiamnunc Socii numerantur, qui  
annuae subnotationis pretium solvere oblii sunt;  
nec tantum currentis, sed etiam anni superioris.  
Hos iterum iterumque rogamus, apud Administratorem  
nostrum rationes suas quo citius compo-  
niant, si ALMAE ROMAE missionem interceptam  
sibi videre nolint. In mentem revocamus pecu-  
niae solutionem et per Status Civitatis Vaticanae  
publici diribitorii tramitem nobis fieri posse.

A. R.

## ITERUM DE INGENUIS ARTIBUS IN POPULUM PERVULGANDIS

Iis quae in superioribus huius commen-  
tarii paginis de ingenuis artibus in popu-  
lum pervulgandis adnotavi<sup>1</sup> obiectum est  
me in meliorem nimis partem rem inter-  
pretatum; tunicatum enim popellum vina-  
rias tabernas feriatis diebus praelaturum, nec pessimam vino  
liquoribusque abutendi consuetudinem un-  
quam excussurum, unumque sibi delecta-  
mentum semper futurum, ut fervidis potio-  
nibus sapidisque cibis sese effarciat, heu!  
quam longe ab ingenuis artibus alienum.

Atqui, si in meliorem nimis partem ego  
abivi, in pessimam adversarii dilabuntur.  
Sunt enim, si rem aequo marte expendere  
volumus, et populo dilecti ludi a vinariis  
voluptatibus dissiti prorsus, quibus ob va-  
cuam nimis crumenam adesse prohiben-  
tur; itaque quod vilissimi pretii est, oble-  
ctamentum quaerunt, ut inebrata poculis  
mente malorum et aegritudinum vitae,  
quibus, quo durior premit egestas, eo  
acrius torquentur, aliquantulum obli-  
scantur.

Est quidem rudi populi ingenio quaedam  
bonarum artium curiositas, earumque spe-  
ctaculis aliquod et plebi delectamentum  
paritur; nemo enim ignorat, licet non am-  
plius inter sacros Arcadiae montes, vel ho-  
die tamen flava inter sata vel rubros pam-  
pinos agrestis poësis thesauros latere, nec  
esse interdum civitatum popello carminum  
musicesve nativum quemdam effluxum ve-  
tum.

Quae igitur ex insignibus artis operibus  
produnt solamina, non ignota omnino ple-  
bis ingenio sunt, sed et quae sita obiter et  
gratissima; rudis tantum inultaque mens  
efficit, ut non idem, quod nobis, sit ipsi

<sup>1</sup> Cfr. huius anni fasc. mensis februarii et aprilis.

iudicium, nec eadem pulcritudinis intelligendae exquisita calliditas; ita sane, ut plerique vel circos, ubi gymnici ludi habentur, frequentissimi adeant, vel pyrcae pulveris coruscantes ac explodentes ignes mira delectatione contemplentur. Quodsi carminum musicesve operibus gaudent, ea prae-diligunt quae facili, etsi nimis nota vena prodeant, nec nimia numerorum concentuumque calliditate ardua magis perceptui sint, excultumque disciplinis ingenium rei que peritum exposcant.

Hinc blanda illa et suavis, licet incondita, popularis poësis ratio, qua iuvat interdum et nos impervia librorum arte defatigatos, veluti vivae fontis unda, nulla immixtione, recreari: hinc ingenuae musices abdita vis insolitique nervi, quibus animi facilis melo ad lacrimas usque non raro moventur. Quid vero de artibus quas *plasticas* vocamus, de signis, vel tabulis? Haec enim, rudi quamvis et incondito mucrone vel pennicillo expressa, iucunda religionis mysteria, Deiparae vultum, Sanctorum fasta adolescentes nos docuerunt, quae prima sibi fuisse artium huiusmodi delectamenta multis fatendum est.

Haec iure itaque summa pietate diligit plebs, quumque pietate commoti rustici flores, cereos ac vota ad simulacra apponunt, pulcritudinem veluti caelestem ex eorum aspectu facile sibi effingunt, cui nec atra vetustatis superficies, nec imperita artificis manus impedimento sunt. Satis enim inculatae plebi est, ut quae consuetudo exposcit insignia, in Sanctorum tabulis eluceant, utque formae, quas avita traditio sacravit, non immutentur: quibus adamussim edocta, epica maiorum carmina recinit, eorumque gesta, quavis critices curiositate remota, ut sibi a patribus enarrata sunt, ita et ipsa filiis iterat. Credula anima est et quasi puerilis populorum indoles; sed ea ipsa de causa ab hodierna senescentium nostrum humanitate quam maxime aberrat, et magnarum cogitationum magnorumque

gestorum flamma succenditur, vel prodigiosae fabulae miris notitiis supramodum delectatur.

Sunt heroes itaque omnes, sive quos patriae historia exhibet, sive quos poëtarum carmen vel ipsius gentis mens effinxit, plebi carissimi, ita ut commenticiis epicis carminibus, quibus medii, quod dicimus, aevi equitum gesta ab errabundis cantori-bus referuntur, passim per vias frequens-que gaudeat. Est et praeter haec amatoria poësis vulgo apprime dilecta, neque raro ipsius ex ore vehementi affectu flagrans prodit, cui, iuxta gentium indoles, musices nervi ac harmoniae aptantur, qua quidem calliditate meridionales Iberos Italosque populos primas referre notum est.

Quae omnia si quis attente atque intime perpenderit, maximam esse ingenuis artibus in populo non tam recreando, quam et erudiendo tributam vim sciet, indeque reipublicae munus incumbere, ut et aptissimo hoc medio ad eius leniendam fortunam sortemque meliorem reddendam contendat.

Quae enim res in commutandos hominum mores efficaciam habent, nisi in bonum vertantur, raro ad longum tempus inutiles manere conspiciuntur, nec in neutrā inclinare partem, ita ut periculum constanter immineat, ne in malam societatis perniciem evadant. Quod profecto, ut de multis aliis, ita et de artibus dolendum est, quae tum impia sectariorum mens tum insatiata lucri cupiditas, adhibitis sive turpium ephemeredum obscoenis fabulis et carminibus, sive photographis, litografiis, chromolithographiis, aeris cusionibus, vel quot sunt ultimis hisce annis in tabularum signorum locum suffectis, cinematographeo praesertim, foedissima quaeque vulganda maxime curat.

Interea vero, nec memorare dubito, ut musices vel picturae sculpturaeve scholae atque academie, theatra musicesque aedes, ceteraque huiusmodi in civium com-

modum pateant, publica tributa ab universis solvi, humilioribus illis non exceptis, quibus deinde, ut solatium a laboribus feriata die inveniant, nonnisi vinariae cellae relinqui animadvertisse; immo, quod peius est, nec lex prodit unquam, quae stolidis viris artium illecebris ad quaestum abundantibus validum frenum imponat, rudeme-que plebem a tot male vulgatis stimulis tueatur.

Quae sane non semel indigitata reipublicae gubernatoribus huc vel illuc sunt, dupliquidem consilio: altero, ut si quem naturalis indoles in artes facile abripiat, puerilibus licet experimentis, peculiare donum pandat, parentesque ac magistros quoad ineundum sibi vitae curriculum illustret; altero, ut omnibus, quae plasticas artes ad acriorem et clariorem rerum visum auxilia suppeditant, proponantur, quibus videndi acies, observandi subtilitas, exponendorum conceptum facilitas cuique augeatur.

His profecto, addita singulis quadam diiudicandae pulcritudinis peritia, quae inter excultos ordines in cultamque plebem differentiae intersunt, minuentur, licebitque tandem rudes etiam populares ad pulcherrimorum operum intelligentiam ac delectamentum adducere: iniquum est enim, ut qui vitam omnem viresque impendunt in comparandis pro reliqua hominum multitudine omnibus quae ad vivendum necessaria sunt, illo, quo artes omnes pollent, primo ac lectissimo vitae blandimento fortunatarum iniquitate omnino priventur.

Quae, si licet optata pandere, cumulate esse adimpta mihi non videbuntur, antequam idem quod de bibliothecis, de pinacothecis, de museis cautum est, de theatrorum etiam spectaculis, quae cuiusvis artis veluti summam proferunt, constituantur; ut nempe publico aere cuivis civium coetui ac multitudini pateant. Sicut enim divina magnificentia stellarum splendorem marisque pulchritudinem nullo pretio, divitibus pariter ac pauperibus, ad vitae iucun-

ditatem diffudit, ita reipublicae rectoribus, de artium humanarum operibus, quae illum splendorem, quasi speculum imitan-tur, cavendum esse arbitror, ut quamplurimis eruditioni simul ac solatio sint.

I. ANTONELLI.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

### AETAS NOVA<sup>1</sup>

Quam vigilem alacremque renascenti litterarum Romanarum cultui operam dede-rint *Humanistae*, quantum iuris quoque fontes exquisierint, exploraverint, restituendos curaverint iam diximus, Pandectas maxime Florentinas illas, quas religione quadam non pauci prosequebantur.

Nova igitur via quae studiis iuris pandi-tur huiusmodi est: Romanorum iurisconsultorum assequi mentem et venustatem, nihil fere solliciti de iis quae cotidianus vitae usus exposceret, immo vero stu-dentes ut romane cum Romanis viverent. «Bartolistae» leges Romanas, aut melius ius romanum deduxere ad usum vitae; vitam autem cotidianam reducere conantur ad leges atque ad mores Romanos; atque eo distant ab «Irnerianis» quod veteres illi leges nuper luci redditas accepérunt ut erant, nihil de forma solliciti; hi autem ad germanam restituunt formam, nec leges modo, sed cultum omnem ad vitam Romanam acquirunt, ut exprimant rursus ipsi vitam renovatam. Neque negaverim hac in re non paucos modum excessisse: quamobrem improbati ab iis sunt, qui censebant non legibus vetustis novam vitam, sed huic illas esse accommodandas, retenta quidem

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

perspicuitate atque elegantia tum styli, cum etiam disceptationis; abiecris autem scoriis, quae altiorem nobilioremque offendenter cultum habitumque vitae. Quam autem medium viam, facto ipso et quasi rerum ratione compulsi, non pauci sequuti sunt, et studio purioris iuris Romani renovarunt, atque emendarunt ius ipsum commune: ita dum saec. XVI et XVII manent dialectici ardentes, tamen declinantes, moderati magis magisque ad Humanistas accedunt, e quibus oritur ac viret agmen novum idemque nobilissimum cultae iurisprudentiae.

Cuius quasi conditor ac princeps merito habetur Andreas Alciatus, in oppido *Alciate* (hodie *Alzate*) ortus an. MCCCCXCII, qui quum adolescens Ticini Iasonem e Mayno, Bononiae autem Carolum Ruinum, iuris civilis magistros, audivisset, adeo proficit, ut vigesimum secundum vix annum attingens omnium admiratione disputaciones ediderit nova forma venustoque nitore digestas, quas inscripsit: « Adnotationes iuridicae in tres posteriores Iustiniani Codicis ». Docuit Ticini, Avenione, Mediolani, Biturgis, Bononiae, Ferrariae conclusique anno MDL vitam valde exagitata. Detractores enim nactus est Alciatus, praesertim in Italia, ubi misera civilis rei condicio non poterat renovando iuri non officere; in Gallia vero magis asseclas, ubi civilis unitas et rex munificentissimus (Franciscus I) novis studiis maxime favebant. Ei Erasmus aptavit quae Tullius de Q. M. Scaevola et M. Crasso scripsit: « Eloquentium iurisperitissimus, Iurisperitorum eloquentissimus »; cuius opera, pluries edita hoc titulo collecta sunt: « Andreae Alciati Mediolanensis iurisconsulti omnes... luculentissimi commentarii ».

Eamdem viam sequuti sunt in Italia, saec. XVI, inter alios Sagonius, Manucius, Pancirolius, Alaeandrus; qui tamen magis historiae iuris quam doctrinae atque interpretationi indulserunt.

Nova humanarum litterarum et artium studia postquam tanta copia tantoque ardore in Italia eruperant atque effluerant, etiam in cetera Europa excitata sunt. Et primum in Gallia, ubi Gulielmus Budeus (vel Budaeus; gallice *Budé*) Italicos Humanistas sequutus, ita Graecis Latinisque litteris incubuit, ut vel nuptiarum die his tres saltem horas dederit. Cuius e compluribus operibus duo ad rem nostras referuntur magis: « De asse », ubi copiosissime atque eruditissime de vetere metiendo ratione disseruit; et « Adnotationes ad Pandectas », ubi priores XXIV Digestorum libros interpretari studet, primus e Gallis, ad rationem humanistarum Italicorum, idque magis qua litteratus quam iurisperitus; nam ius nunquam professus est. Vixit ab an. MCCCCXLVII ad an. MDXL.

Paullo post in Helvetia (an. MCCCCLXI-MXXXXV) Zasius (Ulric Zaesi), Constantiae natus, eadem humanistica studia coluit atque iuri aptare conatus est: doctrina eruditissimus, usu autem expeditus, discipulos habuit praclaros, inter quos Chansonette eminuit, nomine et sanguine Gallus, ratione vero et vita Germanicus, vel si mavis, Austriacus; nam Alsatia, eius patria, tum sub Austria erat: studia init Lipsiae, consummavit Basileae, ubi docere coepit an. MDXIX, nova quidem ratione, ut satis ostendunt eius « Paraphrasis Institutionum Iustiniani », aliaque opera, quae plura scripsit.

Eodem ferme tempore eadem studia excita sunt in Germania, maxime in atheneo Lipsiensi. Exente saec. XV inter humanistas floruit Iulius Pflug, ultimus Nauburgensis Episcopus; cuius inter discipulos fuit Haloander, an. MDI ortus Zwickau in urbe Saxoniae; nomen Gregorium Melzer graece, ut mos erat, reddidit Haloandrum. Qui quum sibi esset persuasum, humanarum artium patriam esse Italiam, una cum magistro huc pluries venit, iuvenis etiamtum, eamque longe lateque lustravit

vehementerque amavit. Bononiae doctoralem lauream consequutus est, passimque magni pretii manuscripta collegit. Ex Veneto manuscripto graeco *Novellas* primus evulgavit, et mox domum reversus, fontes Iustitianas, incredibili fere celeritate. Nam an. MDXXIX Norimbergae edidit « Digestorum seu Pandectarum libri quinquaginta »; eodem anno ibidem: « Institutio- num seu elementorum libri quattuor »; anno post (MDXXX), Norimbergae pariter, « Codicis Iustiniani ex repetita paelectione libri duodecim »; insequenti autem « Novellarum Constitutionum volumen ». Eodem anno MDXXXI in Italianam rediit, ubi moerore ob amissam quadam manuscripta atque assiduis confectus laboribus, immatura morte corruptus est Venetiis aetate vix annorum triginta.

Eodem plane ardore, at secundiore fortuna, eamdem viam ingressus est, post Alciatum, e Gallis Cuiacius; de quo vero alias.

SYLVIA ROMANI.


## DEAMBULATIONES ROMANAЕ

### Ad Tiburtinum Estense.

Hippolitus e Ferrariae Ducibus — Alfonso I ac Lucretia Borgia parentibus, anno MDIX ortus — iuvenis adhuc (egregiae indolis enim quamplurima signa vel ab ipsa pueritia dederat) maximis reipublicae functus, gravissimisque muneribus, quae longe paevertebant aetatem, iamque Italia, Gallia, Hispania ac tota ferme Europa celeberrimus, a Paulo III Pontifice anno MDI in sublime purpuratorum concilium, triginta vix natus annos accessitus est. Qua in dignitate impiger ea quotidie praestabat quae antea praestiterat, pluribus idem regnis, officiis, negotiisque gerendis optime par, etsi solus, regibus mu-

nificentia compar, popularibus modestia, suavitate morum optimis, innocentia vitae sanctissimis, auctoritate gravissimis, doctrina eruditissimis; quo factum est ut, si quando ad supremi Pontificatus fastigium extolleretur, aureis rursum annis Augusti sui fruitura Roma videretur.

Iamque patrimonio Ecclesiae Romanae administrando praefectus, Tiburtinae regionis urbisque gubernandae a Pontifice munus accepit, et regio fastu urbem adivit magno equitum, patriciorum, eruditorumque virorum paeceente et subsequente comitatu, triumphaliter quasi secum gereret scientiam, liberalitatem, artes quasque ingenuas, ac disciplinas. Locus placuit, placuere verba medicorum suadentium de salubritate aeris, placuere et quae videbat de ubertate soli, de industria civium. Quid plura? Regia urbs regium iuvenis animum suavitatem pellexit, qui vel a primordio aliquid se dignum ibi excitare cogitavit; quemque in tanto viro velle a posse non multum distaret, qui incredibili opum vi super aequales suos unus omnium maxime florebat, locum intra moenia de legit, in occidentem solem qui spectat, et qui, si traditis credimus, Metelliana gentis olim deliciis fuerat insignis. Hic accersito Pyrrho Ligorio architecto credit exstruendum opus, coemptsis quotquot circa erant domibus, hortis, praediolis, ac tale esse iubet quod sibi satifaceret, cui totius ferme Europae regiae et viridaria patuerant, quodque digne susciperet praclarissimos ingenio et eruditione viros, quos frequentes in aula habebat, nempe Aelium Calcagninum, Franciscum Martium, Paulum Iovinum, Hugonem Fogliettum, M. Antonium Muretum, Paulum Manutium, Hieronymum Mutianum, Georgium Vasarium, Guidum, seu Widonem, Tempestium, geminosque fratres Zuccari, digno praeterea contineret hospitio adventantes principatus insignes dynastas, quin etiam reges, et vel ipsum Pontificem, et eminentissimos patres, collegas suos,



archiepiscopos, et quotquot venturi essent illustres; immo Tiburtinos omnes admonuit diversoria gerentes, ne quem exciperent virum, sed ad se ducerent. Atque inde fuit Tiburtinus proverbium, adhuc in memoria, quo fertur optimum illud esse diversorum advenis et unicum, scilicet cui alba aquila imminet; alba autem aquila stemma erat Estensibus.

Nec mora. Subrata, dimota fuerunt omnia, quae locum occupabant, et immane opus excitatum est. Subterraneo specu, monte perforato, deductus est fons, immo fluvius, ab Aniene, pass. circa DCCC, unde tanta aquarum vis et copia in Estense profluxit, quantam nemo alibi viderat unquam. Atque hinc superbi illi fontes, numero propemodum innumerabiles, in quibus omnis lusus aquarum, omnis inventio, omnis magnificentia in simulacris, in aquarum agmine, ita ut feratur omnium regina fontium quae a Sibylla vulgo nuncupatur. Centum insuper fontes perpetui sunt imaginibus, ex libris *Metamorphoseos Ovidianis*, decori, hydraulicum organum, Romae ipsius exemplar antiquae redditis aedificiis, monumentis, interfluente amne Tibri. Adde modo arbores omnes, turbam, populum ingentem omnium florum, myrtheta, laureta, illiceta, cupresseta, adde, cumula quid quid magnificentius cogitare possis, vix centesimam partem cogitando contingit.

Interea super haec omnia, quot Aegyptus, Graecia, Roma statuas, marmora, Numinia dederant ab Iside ad Pomonam et Floram, super haec omnia amplissimae eminent in colle summo aedes, quibus Tempesta, uterque Zuccari, et sculptores eximi temporis illius, sculptores antiquorum temporum felicibus effossionibus sua portenta dederunt. Vix cuique credibilia sunt quae nunc videt; atqui hodie reliquias tantummodo videt prisci decoris. Regali sumptu quaeque in aulis lucebant; argento, auro, gemmis pavimenta pretiosiora gemmis erant; serica, acu picta, auro, argen-

toque intertexta passim stromata parietes velabant; fornices coloribus, meandris, ornamentis, imaginibus, omni picturae vi expectationem omnium vincebant. Fama est Hyppolitum vicies centena aureorum millia in excitando opere profudisse, idque nonnullis monumentis asseritur; quot in ornando? Ac tamen biennio tantum haec inchoata, perfecta, ornata dicuntur! Rectius dices perfecta omnia inter quindecim annos.

Aloisius, Hyppoliti nepos, Hyppolito mortuo anno MDLXXII, deflentibus tanti viri obitum omnibus, haeres pro tempore ex testamento Tiburtinum tenuit, et patrui sui insistens vestigiis acceptum servavit, honorifice coluit. Quum enim tres et viginti annos natus in sacrum Senatum et ipse cooptatus esset, exemplis doctus domesticis, et nativa indole regius, sibi suisque morem gessit opulentissime, magnificissime gessit; nec modo Estense in Tiburtinis habuit, sed ipsum gubernatoris munus est illi a Pontifice creditum, in quo obeundo ita se praestit, ut vel Hyppolitum fama superaturus crederetur. Tanta fulgebat humanitate, benignitate, excellencia, omni denique agmine virtutum! Ipso vivo, Estense Tiburtinum supremum ita attigit incrementum et iubat, ut ultra iam crescere et rutilare nequiret...

Eccur tergiversaris oratio? Horret ac refugit animus a dicendis, quae post eius obitum sequuta sunt. De Tiburtino inter se plures contendunt, et interea hic abiit, ille non curat, alii subripiunt, nemo adest, et miraculum istud Estense pretiosissimis denudatur. Fatiscunt tecta, opplenunt aqueductus, pulcherrimae arbores ad alenos ignes succidunt, destinata spatia floribus brassicae, lactucae et cetera huiusmodi complent. Nequid ad vastationem deesset, palatium, XVIII labente saeculo, milites externi occupant. Cetera lector intelligis. Et fere decennio ultra dimidium saeculi XIX in peius ruere omnia visa sunt.

Tale erat quo tempore Gustavus prin-

ceps D'Hohenlohe petiit ab haeredibus Estensibus, qui de vendendo saepe constituerant; habuit utendum, nec impensis percipit ut restitueret si posset, saltem ab extremo excidio liberaret. Tanto viro demortuo tristia fata iterum imminere loco videbantur; fausto vero alite Italici Gubernii auctoritas intercessit, non modo novam ruinam impediens, sed ad pristinum splendorem quam maxime posset Tiburtinum Estense restituens in visitantium tum civium, tum advenarum admirationem.

P. d. V.

## EX SINIS

HERMANNUS MOLENDINUS, *Almae Romae* commentarii sociis sal. p. d.

Sciebam a commentarii nostri Moderatoribus, quantum interesse posset, ut ipse ab extremis hisce orbis plagis aliquid scriberem. Evidem libenter morem illis vobisque, sociis humanissimis, geram, idque eo libentius, quod expertus iam sum, etiam in vita missionaria scientiam et peritiam linguae latinae esse rem summi momenti, quam qui calleat, multis expers maneat incommodis.

Narratiunculam vobis proponam, circa quam tribus quattuorve mensibus mecum regrediamini oportet, nam quod vobis narraturus sum, tempore evenit hiberno, ubi, quemcumque negotia foras non agerent, quietus intra parietes ignem fovebat, ut longe a se arceret algorem mordicium et acutum.

Agedum auscultate.

In fanum quoddam prope Flavum Flumen, non longe ab urbe, coacta est magna multitudo captivorum « communistarum », quos si inspexeris et examinaveris, mox cognosces, eos revera non esse huius nefandae factionis assecelas german-

nos, nam plerique nonnisi coacte secuti sunt; immo non pauci pueri sunt tredecimi quindecimve annorum. Attamen capti sunt cum ceteris; quapropter, etsi insontes, cum ceteris puniuntur. Verbis vix exprimi potest, in quam deplorandam condicionem inciderint! Frigore vere hiemali carceris membra eorum gelida rigidaque facta sunt, humi cubare coguntur super durum lapidem paucissimo tantummodo stramine conspersum; toti in squalore et illuvie vivunt; facies macerae pallidaeque; multi pelle tantum et ossibus constare videntur; ex oculis eorum mortem tibi arridere putares. Quodsi frigore et sorde solummodo cruciarentur, miseria revera nimis magna iam esset, quam ut tolerari posset. Sed haec miseria pedissequam habet luem adhuc crudelerem scipsa, qua omnes paulatim, at certe tabescunt.

Neve putes, custodes curam gerere eorum. Pagani sunt; paganismus vero, rigidus et frigidus ut hiems, compati nescit. Ista miseria quid ad eos? Ubi primum aliquis moritur, statim effertur et humatur; eius locum mox alius occupabit. Nihil aliud. Crederes, hos captivos hoc missos esse, mox ut moriantur. In tali carcere, ubi frigore tam acri cruciantur, peste tam saeva flagellantur, quotquot vel optima et robusta valetudine gaudent brevi iam occumbant necesse est. Non pauci, dum in has gemituum cellas detruduntur, optime valent, sed non post multum tempus etiam hi mortis iudicio in fronte signantur.

Neque deos, ad quos gentes configunt, ut consequantur misericordiam, eorum miserentur. « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum; os habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt; nares habent et non odorabunt; manus habent et non palpabunt; pedes habent et non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo ». Idola sunt, animo et spiritu carentia. An potius foedas et distortas larvas dixeris « draconis illius ma-

gni, serpentis antiqui, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem, quique sicut leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret? Ita prorsus existimare licet. Vultu atroci et furibundo his miserandis creaturis irrident, quae ante pedes eorum pereunt, gladio stricto eis minantur, tamquam si feroci laetitia eos percutere anhelen.

Sed quid, quae dicitur caritas christiana? Iuxta hoc delubrum a « protestantibus » nosocomium erectum est; hucusque tamen nemo inde limina huius carceris supergressus fuit, qui vulneribus vel morbis mederetur aut animis solatium et salutem afferret. Fortasse eis interdictum est, ne accendant, nam quam difficile quis admittatur, ipsi experti sumus; fortasse nondum conati sunt his miseris subvenire.

Num etiam ipse Christus, qui in mundum venit, ut quaereret et salvaret quod perierat, quique dixit: « Venite ad me omnes, qui laboratis », hos infelices oblitus est et deseruit? Minime quidem. Ipse se negaret oporteret, hos si detestaretur et respueret. Ut quondam in Palaestinae regionibus, etiam hos abiectos visitat, amore et misericordia plenus sese ad unumquemque eorum inclinat lenimentum tribuens dolori corporis, sanitatem animae aegrotanti. Ipse, qui semper sibi constans « infirma mundi elegit, ut confundat fortia », simplici moniali hoc opus suum vere divinum demandavit. Quovis tempore huic famulae Dei aditus patet. Ipsa cum sola virgine comite pluries in hebdomade has tristitiae aedes ingreditur, vulnera ligat, morbos lenit, maestitiam pellit, morituros, quantum ob angustias temporis fieri potest, edocet et per sacramentum regenerationis caelo luxuratur. Iam plus centum per hanc unam sororem hora undecima viam salutis inveniunt, neque unquam accidit, ut unus ex eis gratiam repudiarit.

Opera huius sororis etiam nobis semel copia facta est adeundi hos carceres, in-

ferno revera haud dissimiles. Ipsa soror a nullo impediebatur, quominus hoc hospitium ferale intraret; at nos iam a secunda custodia repulsam tulimus, nec amplius progrederi potuisseamus, nisi soror apud praefectum militum pro nobis sese interposuisset. Tunc omnes cellae statim nobis aperiebantur; omnes captivos vidimus eorumque summam miseriam. Adspectus horribilis! Sed vidimus quoque grande miraculum, quod Christus, Salvator omnium, inter hunc gregem derelictum et reiectum patraverat. Ubi primum portae pandebantur, ad unum omnes captivi manus porrigebant versus beneficiorum auctricem, quae singulos frusto panis reficiebat, quod munuscum, quantumvis exiguum, omnes avide arripiebant summaque delectatione comedebant. Deinde vulnera patefaciebant, aperte et ingenue dolores manifestabant.

Per hanc miseriam attriti et contracti, perque talem caritatem plane inauditam commoti et devicti, facile aures praebent doctrinae salutis et felicitatis aeternae, ita ut libenter iam suscipiant lavacrum baptismatis. Multi laetitia gestientes sacra numismata nobis ostenderunt, quae in baptismo a sorore acceperant. Omnes mox morientur, sed omnes, ita omnino fas est sperare, miseriam temporalem permutabunt felicitate perpetua. Dixerim, hanc domum ferale factam esse domum vere vitalem, aptene an inepte, tu ipse velim iudices.

In animo habeo, partem commentariorum, quos de itineris nostri casibus et eventibus contexui, latino sermone reddere, dummodo otium mihi erit, quod quum non sit in mea potestate, — quamquam vehementer spero fore, ut vobis gratum facere possim, — nihil certi promittere lubet. Curate interim ut valeatis.

Scr. Lanchovii in Sinis, vi kal. maias, an. MCMXXXVI.

— Ex ovis pravis non bona venit avis.

— Omnia probes; quod bonum est teneas.

## PAGINA HERDERIANA

### De hominis aetate.

Qui *Almam Romam* non solum acceptare, verum etiam perlegere consueverunt, viderint in fasciculo anni huius quartu, quae ibi disputata sunt de duritia vel duratione corporis. Quanto ego cum gaudio eram imbibitur, si quis ex lectoribus animum aperiuisset suum de meis novis vocabulis, si respondisset, quae ibi quaevisseram! Ecce offero harum paginarum, quas Herderianas nominari placuit, alteram, quae de aetate est, et admoneo te me non invenisse, sed interpretari, quae illis marginatis vel circumlineatis articulis in maiore Herderiano lexico praeceditur.

Itaque de aetate sic res absolvitur, ut circumscripsit singulis aetatis spatiis explicantur, quibus quasi notis vel proprietatibus aetates cognoscantur, inquiratur de vitae longitudine, investigetur senii causa, docemur de arte retinendae iuventutis, prononiantur quae sint observata de aetatibus bestiarum et plantarum.

Sed iam accipe rem, prout est in encyclopaedia.

Aetas generatim est quod praeterit vitae spatium, et quae illi tempori convenient incrementa, aut quae convenit resolutio vel labes virium. Ergo primum dicendum est de aetatis humanae gradibus.

Et primus quidem evolutionis gradus est tempus embryonale, illud tempus quod homo, antequam nascitur, gestatur materno utero, hoc est spatium dierum canticum ducentorum octoginta. Quo tempore etsi linea corporis humani paullatim apparent, anima tamen embryoni inde a principio coniuncta est. Versus finem mensis septimi ita foetus solidatus est, ut — praematurus — editus vivere possit. Editus peracto mense nono, homo ingreditur

aetatem puerilem, quae his quasi gradibus absolvitur: tempore lactatus et inchoato usu rationis, et extenditur usque ad dentitionem. Sequitur aetas primae, quae dicitur, plenitudinis, quae terminatur cum anno quarto, et primae, quae dicitur, productio vel protensionis, quae cum septimo anno terminatur. Iam secundae plenitudinis tempore, plerumque tamen tempore secundae protensionis — igitur in pueris intra annos tertium decimum et sextum decimum, in puellis intra annum undecimum et quartum decimum, quod tempus pubertatis dicitur, — animus hominis mire solet esse incompositus. Hoc tempore emergunt etiam dentes, qui mansuri sunt. Postea tertia plenitudo abit in adolescentiam, quae orditur in viris anno duodecimo, anno sextodecimo in feminis. Subsequitur confirmatis corporibus et animis matura aetas virorum intra annos vigesimum et trigesimum quartum, mulierum intra annos vigesimum et duodetrigesimum. Et stare consuevit haec humanae fabricae perfectio usque ad climactericos annos, quorum initium in mulieribus est versus finem anni quadragesimi septimi, in viris annum quinquagesimum septimum. Aetas autem virilis paullatim circiter annum sexagesimum, in mulieribus post mutationis annos, abit in senectutem, cuius signa haec fere numerantur: imminunt corporis vires et ipsa statura minuitur, formae concidunt plenitudines, ea quae a physiologis assimilatio vel permutatio organica vocantur lentescit, organa motoria et organa circulationis obrigescunt, unde fieri solet, ut serum obturentur arteriae, (quae est illa invisa, quia funesta saepe, arteriosclerosis): et sensus in sensibus obtunduntur, memoria minutur, animi agilitas et vigor relanguescant.

Neque unquam tutus homo est a morbis; prima siquidem aetas obnoxia est incommodeis victus et contagionis; quae aetas est inter vicesimum et tricesimum annum fa-

cile inficitur tuberculis; quae annis quadragesimo quinto et quinquagesimo quinto continentur, non raro afflictatur impedimentis mutationis. Senectus vero periclitatur plurimis incommodis valetudinis.

Sequitur ut de aetatum distinctione dicamus.

Atque bestiarum quidem et plantarum non raro aetas certo concluditur: in arboribus ex circulis annuorum incrementorum, in piscibus ex squamis, in conchis ex incrementorum lineis, in bubus et rupicapris ex circulis cornuum.

Sed in hominibus contentos esse oportet existimatione plus minus certa, quia nitor facie corporum et functione telarum et organorum; quae omnia saepe et traditione et accommodatione variantur. Sunt autem hae notae praecipuae:

Prima, magnitudo corporis. Corpus adolescentium celeriter augetur; post trigesimum annum crescere desinit; senum corpora decrescent et ita fere, ut, quorum altitudo fuerit centimetrum centenum septuagenum quaternum, recidat ad centimetra centena sexagena singula.

Secunda nota dentes sunt. Dentes infantiles, qui etiam temporarii aut decidui vocantur, apparent primis viginti quattuor mensibus. Succedunt firmi dentes inter annos sextum et tertium decimum. Post annum trigesimum in superiore dentium planicie existunt, detritu masticationis, quae stellulae dentium vocantur, coloris castanei. Post annum sexagesimum dentes produci videntur, sed revera nudantur magis recidente gingiva et vanescente prolongatione alveolorum. Caries autem dentium non certa est nota aetatis.

Tertia nota est distributio adipis. Nam circiter annum trigesimum, qui panniculus adiposus dicitur genarum, deorsum labitur, qua re fit ut prostare videantur ossa iugalia, fluant buccae, duplicetur mentum. Et congeritur illis annis adeps in cervicibus. Deinde quum ad quartum vitae de-

centium ventum est, augeri solet adeps vel circa coxas vel circa ventrem; sed illa in senibus evanescit.

Quartam notam cutem esse dicunt, qua circiter annum trigesimum relangesciente oblongae ducuntur rugae in palpebris, quae a Germanis cornicum pedes vocitantur. Corrugari tum etiam frons solet, et nasus, et os, et ea pars colli, quae inter iugulum et mentum est. Color cutis in adolescentibus candidus est et clarus, ab anno trigesimo inserto pigmento offuscatur magis. Et senibus saepe in manuum dorsis nascuntur maculae coloris castanei.

Quinta nota aetatis coma est; sed canities et pilorum defluvium etsi saepe senioribus accidere solet, non est tamen proprium senibus.

Sextam eamque certissimam notam aetatis numerant habitum oculorum. Nam vivae et apertae pupillae infantis cum annis angustantur et obdurescunt, ex quo senum oculis respergitur tamquam defatigationis imago, quae etiam tristior fit pendentibus palpebris et residentibus pupillis et rarescente illa adipe, quae est in oculorum caveis. Post annum quadragesimum quintum remittente facultate contrahendilentem effici solet, quae presbyopia vel hypermetropia dicitur. Illa pellis, quae sclera, vel scleroptica, vel albuginea vocatur, plus minus flavescit, et obscurata lente pupilla incanescit. Postremo circiter annum sexagesimum et in superiore et in inferiore cornea cute conspiciuntur offuscations falcatae; et hi sunt arcus senectutis.

Septima nota est auris, quae crescente aetate grandescit et fit ima auriculae pars in senectute carnosior. Versus annum quinquagesimum setae succrescent ex meatu auditorio et postea tota auris flaccescit.

Octavum signum aetatis esse volunt os. Nam est pubertatis tempore turgidius; post annum quinquagesimum contractius. In senectute amissis dentibus et de decre-

scente dentium prothesi «senile os» apparet.

De vitae autem longitudine querentes Christophorus Hufelandus, celeberrimus Germanorum medicus, circiter annum 1800 in eo libro, quem *macrobioticam* inscripsit, docet naturalem aetatem animalium quinque tantum spatium extendi, quantum insumptum est ad status sui perfectiōnem. Sic hominis aetas secundis vitae conditionibus esset annorum centum viginti quinque. Sed quoniam plerique homines non extinguuntur necessitate naturae, sed vel morbis vel casibus opprimuntur, nequendum exploratae sunt quaedam proprietates hereditariae, quas ad aetatem circumscriptibendam facere certum est, nihil certi de illo numero observari potest aut statui. Quam longe abest ab illis annis vitae a natura propositis quae hodie est aetas media hominum! Reperta est enim his quinquaginta annis media aetas in viris annorum quinquaginta sex, in feminis annorum undesexaginta, quum antea vixissent viri tricenos senos, mulieres tricenos novenos annos. Apparet igitur vitam extendi hominum et causa est, quod ars medica atque chirurgica his annis effloruit et multo maior adhibetur diligentia ad conservandam valetudinem. Neque obliuiscendum est hanc numeriam aetatis rationem affici exitiali illa restrictione prolis. Sic pauciores moriuntur infantes, quorum antehac mortes medium hominum aetatem, ut pateat, aliquantum contrixerant. Extremus vitae humanae terminus, ut hodie est, centesimum annum non multum vel pauciculis annis superat.

Persequemur quae restant dicenda.

A. AVENARIUS.

*Ille potens sui,  
Laetusque deget, cui licet in diem  
Dixisse: Vixi.*

HORAT., Lyric. III, 29.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

XXVI.

Virtus in puero.

PARENTS, LUDIMAGISTER.

PARENTS. — Operae pretium facturum me credidi, si interrogarem te uti se darent initia, quantumque proficeret meus Laurentiolus.

LUDIMAGISER. — Est cur Deo gratias agas: mirandum in modum procedit in literis.

PAR. — Iam huc accessum, et hoc aste auditum gaudeo, tibique secundum Deum ago gratias singulares propter tuam diligentiam.

LUD. — Similes illi utinam essent omnes! Verum alios plerosque minis et castigationibus aegre promoveo ad discendum quomodocumque; iste tantum laudibus alitur, nihilque peius timet quam dedecus. Quod si quando in concertationibus frangitur (quod perquam raro contingit) plorat tamquam si parentem amisisset. Excellentissimis est memoria: nam cum facile percipit quae audit et legit, tum fideliter continet. Quid multis? Dicit classem suam, et quum tempus aderit ad scholam superiorem ascendendi, aut primus, aut a primo proximus, est ascensurus.

PAR. — De moribus quid sperem?

LUD. — Non minora. Pius omnino puerulus est. Catechismum memoria tenet ut nomen suum; quum in templum venimus, quietissimus est, Deumque precibus colit quam religiosissime; quin et in ludo nemo ipso tranquillior, nemo ad parendum promptior. Aureum genuisti filium. Precare caeleste Numen ut sospitem annos iu-

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

niles conficere patiatur: magnam utique et claram rei publicae lampadem accenderis.

PAR. — Vix sum apud me prae gaudio. Insiste mihi puerulum erudire, sicut facis, et scito te ob hoc, ut fratrem fore mihi in medullis. Malo enim prorsus carere liberis quam eos non habere quam praestantissimos: quales tua fidei opera me visurum spero.

LUD. — Deus votis tuis operatisque quam cumulatissime respondeat.

## ANNALES

### Pactio inita inter Germaniam et Austriam.

Die xi mens. Iulii p. e., fausto quidem auspicio, sollemnis pactio inita est inter Germaniam et Austriam, qua coniunctio et necessitudo inter duos Teutones populos iterum atque omnino restitueretur: sanctum nempe est ut Germania ius imperii omne Austriae recognosceret, utque vicissim utraque civitas in alterius domesticis negotiis sese immiscere abstineret.

\*\*\*

### De Lausanensis pacti retractatione a Turcis facta.

Compositio pariter facta est de Lausanensis pacti retractatione, a Turcis, uti suo tempore diximus, facta: Gallia, Anglia, Graecia, Romania, Turcica civitas, Russica atque Iugoslavorum convenere, ut Helle-sponentus iterum armis instrui liceat, qui tum maritimo cursui paecludetur quum bellum aliquod exardescat, in quo neutram partem Turcica respublica agat; tum vero quoque liber manebit mercatoriis naviis ex gentibus peculiaribus conventis cum Turcis adstrictis.

Italia et ab hoc congressu ne interesset abstinuit, quum conventio de mutuo auxi-

lio in mediterraneo mari contra eam facta adhuc permaneret: quam tamen Graecia nunc et Turcarum gubernium, ipsaque Anglia defecisse declararunt.

\*\*\*

### De Locarnensi foedere renovando

est quoque inter Angliam, Galliam regnumque Belgarum Londini disceptatum, statutumque ut Italia ac Germania invitarentur ad consilia sua conferenda, quibus facilis tutiusque per generale foedus universorum pax firmetur.

\*\*\*

### Hispanicum bellum civile.

Dum hic illic conatus flunt ad ordinis tranquillitatem in Europa restituendam, en in Hispania tale bellum civile flagrat, quod nemo mente concipere nostris diebus potuerit. Nefaria Calvi Sotelo, qui inter cives mentem aimumque ad nationis spiritum contra anarchistas erigendum intendentes primas agebat, interemptio, atque sociorum eius ob vile facinus indignatio scintilla incendi fuerunt, quod a Mauritania in nationis fines manavit. Populare — quemadmodum sese appellavit — gubernium, ut militari seditioni, cui militiae magistri Franco, Mola et Cabanillas praesunt, obsisteret, arma tradidit turmis omnis generis factiosorum, qui sine ulla lege, Russorum bolscevicarum mores sequuti, ubique furunt, incendia, rapinas, vastationes apportantes, nulla ratione habita personarum, quas (sacerdotes monialesque praesertim) horrendis suppliciis torquent, monumentorum vel celeberrimorum, quae solo aequant, civiliumque thesaurorum omnium. Haec equidem humanitas, qua aetas nostra gloriatur! Inter huiusmodi belluinas immanitates qui Hispaniae rem restituere volunt procedunt, nec facile coniectui est, si et quando nobile eorum incoepum ad

optatum finem perventurum sit. Utinam id quo citius fiat, atque apud infelicem Hispanorum populum ulteriori sanguinis effusione parcatur!

POPULICOLA.

## VARIA

### Multi decipiuntur, dum sub quadam humilitatis umbra, superbiam evitare conantur.<sup>1</sup>

Saepe fit, ut modestia atque humilitas non modo nihil prospicit, si tibi agendum sit cum insolentibus hominibus, et qui te invidia atque odio prosequantur; verum etiam noceat plurimum. Cui rei argumento esse potest consultatio Romanorum de conservandis in pace Latinis, a quibus bellum illatum iri sibi metuebant. Nam quum quererentur Samnites in Senatu, se a Latinis bello peti, Senatus, ne ipsos iam sua sponte ad bellum commotos magis irritaret, et abesse abalienaret, respondet in foedere Latino nihil esse, quo bellare cum quibus ipsi ve-lint, prohibeantur. Ex quo responso Latini non modo reconciliati non sunt, sed ferociores facti, ut, per speciem belli adversus Samnites parandi, crebris consultationibus bellum Romanum meditarentur, et paulo post manifeste se hostes esse profiterentur. In quam sententiam idem Annius praetor apud ipsos sic loquutus est: « Tentatis patientiam populi Romani negando militem. Quis dubitat exarsisse eos? Per-tulerunt tamen hunc dolorem. Exercitus nos parare adversus Samnites foederatos suos audierunt, nec moverunt se ab urbe. Unde haec tanta modestia, nisi ex conscientia virium et nostrarum et suarum? ». Haec Livius, ut hinc manifeste cernere possit,

ea populi Romani modestia et patientia, auctam fuisse Latinorum arrogantiem. Quamobrem rationem honoris et dignitatis suae debent habere principes omnes, nec facile quidquam adversario permittere, ex quo insimulari queas abiecti animi atque timidi. Satius est etiam bello aperto aliquid admittere, quam ut metu belli id condonasse videaris. Nam persaepe accedit ut multa condonantes avertendi belli causa, id potius adversus nos excitemus, quam arceamus, ob malitiam adversariorum vide-licet, qui ubi intellexerunt te meticulosum abiectumque esse, subinde alia atque alia postulabunt. Quibus accedit quod neque amici quidem prompti erunt ad te iuvandum, ubi te tam timidum esse cognoverint. At si cognita adversarii tui iniqua petitione, statim te ad defensionem praeparare coneris, non ita audacter te invadet, quamvis potentior sit quam tu: promptioresque amicos atque defensores semper habebis. Et quidem ita intelligi debent, si quidem unicum hostem habeas, qui a te postulet quidpiam; si plures fuerint qui te invadere volent, prudentissime facies, si multa condonando et promittendo, ex eorum societate aliquem disiungere et abstrahere coneris.

\*\*\*

### Ovis et Canis.

Quo tempore animalia et pecudes sermone utebantur, aiunt Ovem dixisse hero suo: — « Permitem mihi videtur, nihil nobis a te paeberi, cogique a terra nos victum quaerere; de quibus tamen tu et lanam capis, et caseos, et agnos; canibus, unde nihil horum tibi credit, impertis panem quo ipse vesceris ». Tum Canem, qui haec audisset, ferunt sic loquutum: — « Merito, hercle, meo fit; non ego is sum, qui vos ipsas etiam custodio, atque servo, ne vel hominum furto, vel luporum raptu pereatis? Quod si ego vestram custodiam negligem, iam ne ad pabula quidem exire

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

auderetis prae formidine interitus ». Atque ita etiam Oves ipsas passas facile fuisse accepimus, ut se Canes potiores et maiore in honore haberentur.

Haec fabula narratur vulgo imperitorum, qui sapientum otio irascuntur, et illos in tanto honore vitam de suis laboribus degere moleste ferunt. Nisi enim ipsos doctrina et sapientia defenderet atque tege-ret, neque salutem neque fortunas suas salvas et integras conservare possent.

\*\*\*

### De plaustro recenti et vetere.

Plaustum recens stridentibus rotis fer-tur obviam quandam factum alteri, quod et vetustius, et cuius rotae deteriores es-sent. Hoc igitur illud interrogat quid que-ratur, aut quae res ad ista ipsum lamenta-adigat. Cui recens et stridulum plaustum: — Cur tu, obsecro, tanto — inquit — sil-lentio invehiris, et raros etiam gemitus edis sub oneribus?

— Sentio enim — alterum respondit — dolorem, et ferenda intelligo quae im-po-sita mihi sunt; itaque ferre quam deplorare malo.

Docet fabula clamores et vociferationes non fere a vanitate abesse; et dicunt Galli cachinnos sonantes in ore nasci. Etiam docet quantum in laboribus perfe-rendis exercitati novitiis et rudibus pree-stent.

\*\*\*

### Pro iudicibus mensarum elegan-tibus.

ESCARUM ORDO:

*Iusculum ex intritis.**Mulli barbatuli ad Liburnensium morem conditi.**Pulpamentum bovinum in sartagine de-coctum.**Faseoli acetariis saporati.**Fraga gelida in offae sportulis com-po-sita.*

\*\*\*

### Locosa.

TUCCIUS in schola.

LUDIMAGISTER. — Heus, Tucci: si pater bis alapa te percusserit, ter autem mater, quot alapae tibi ductae fuerint?

TUCCIUS. — Satis superque!

LUDIMAGISTER. — Invenistine tandem umbeliam, quam perdidisti?

TUCCIUS. — Minime vero; atqui eam vel per encyclopaediam perquisivi.

LUDIMAGISTER. — Per encyclopa-e-diam dicas?...

TUCCIUS. — Sane quidem: nonne semel iterumque tu dixisti in encyclopaedia omnia inveniri?

\*\*\*

### Aenigmata.

I

Illa ego sum notas hominum quae punio sordes: Ut purgem pleno iure statuta fui.

Mors me et vita tenent, mea dant et funera vitam, Quum tenet oppressum pectoris aura sinum.

Ad sua parata vocant omnes me tempore certo;

Sed membris cupiunt me procul esse suis.

Quae me progeniunt gaudet non luce serena

Quum grave me proprio in pectore gestatonus. Syrmate septa nigro lacrymantem inter amictus

Me parit in terris, quam tenet ante polus.

Libertas mihi cara placet, nec compede possum

Vinciri; e manibus labor, ut aura, notus.

Si me nonnulli servire penatibus optant,

Illuc vi interdum deboe fune trahi.

II

(vulgo REBUS)

+ FERIMUS Ferimus Ferimus

A D

Aenigmata in superiore fasciculo propo-sita his respondent: 1) *Lac-rima*; 2) vulgo REBUS: *In pace res crescunt*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,

Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

[9]

## REGULUS

### ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR.)

Sic singuli cadent Romani; patriae nil proderit  
Vel fortiter mori. Etiam nunc me consulatus obligat.  
Necessest vos mihi monere. Nam quom Regulus  
Adparuerit, conspectus eius omnis admodum  
Nos commovebit. Ah, quantus fuit is, cecidit tamen!  
Nemo scit, quid vobis minetur tempus posterum  
Velo crepero velatum. Qui sentit humanitus  
Videtque hominem esse vilitatum, secum sentit in animo  
Ruinam et interitum. Karthaginensem civitas  
Istuc volutans hanc ob rem misit hic Regulum.  
Hostes animis nostris sperat pacem fore.  
I sunt Karthaginenses nec mutabunt indolem.  
Quom familiariter ad nos accedunt, tum pessumam  
Suunt sutelam; hoc ego hercle timeo maxume.  
At vostra me consolatur sapientia atque argutias  
Nudabit viperinas. Misistis certamen; optume.  
Mi commisistis, ut finis bellandi fieret.  
Si vobis excitabitur miseratio, rem publicam  
Tum cogitate, salus istius animos vostros occupet;  
Hoc est nobis summum bonum. Nunquam mutabitur  
Ardore ferventi, quod derevistis prudentissime.  
Iam confirmate animos, patres. I lictor, adductus siet  
Karthaginensem legatus; benigne Regulum  
Exspectamus. Nunc litterae adlatae sunt ex provinciis.

### SCENA II

REGULUS, VALERIUS, MANLIUS, PUBLIUS, LICTOR, METELLUS,  
BODOSTOR, APIUS.

RE. Etiamne nunc Romae tuos adspectus imminent,  
Bellona victrix copiarum? Scutum concute,  
Et tolle lanceam, statim Romana vincet civitas  
Et Karthago cito cadet. Vide tuom me filium,  
En sicut servos abiectus nunc cumbo in pulvere.  
VA. Potestne istuc spectare, Manli? — MA. Veste sordida  
Servili vestitust vir omnium fortissimus.